ORIGENES
Salzburg (Umgebung), 1. Hälfte 9. Jh. Seite 158r
Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26146
Copyright: Admont, Benediktinerstift



dicere. quod si quis seruet mandata nulla aegritudine patiatur.
hoc ē neque febricet neque alios dolores corporis ferat;
Non puto quod haec sint quae promittuntur diuina mandata
seruantibus; alioquin indicio nobis ē iob iustissimus et totus
pietatis obseruantissimus qui a capite usque ad pedes repletur
ulcere pessimo. Non enim his carere dicuntur infirmitatibus
qui mandata custodiunt. sed non habebunt illas infirmitates
quas aegyptii habent. Aegyptus namque mundus figuraliter
appellatur. Diligere ergo mundum et ea quae in mundo sunt
aegyptius languor est. dies obseruare et menses et tempora
signa requirere. stellarum cursibus adherere. aegyptius
languor est. deseruire carni luxuriae uoluptatibus; operam
dare. uacare deliciis. aegyptius languor ē. Caruit
ergo his infirmitatibus et languoribus qui mandata custodit.
Post haec dicit quia uenerunt in helim et erant ibi xii fontes
aquarum et lxx arbores palmarum; putas non habet aliquid
rationis quod non ante in helim ducitur populus ubi erant
xii fontes aquarum quibus nihil amaritudinis inerat.
Immo potius ubi erat amoenitas plurima ex densi
tate palmarum. Sed primo ductus est ad aquas
salsas et amaras quibus per lignum monstratum
ad nostro dulcibus effectis. postea uenitur ad fontes.
Si historiam solam sequamur. non multum nos
aedificat scire ad quem locum primo uenerint